



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

Festvm Pentecostes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

primas feret, & quò profundius descenderit, hoc altius ascendet. Neque est, quòd viam multum inquiramus, quæ ad triumphum ducat. Impressu huic Christus vestigia sua, sanguine notavit. HAC ITVR.

FESTVM PENTECOSTES.

Non ego jam centum ora totidemq; linguas, unam tantum ex iis opto, quas hodie cælum depluit. Iacebat è iuventute studiosa adolescens, quem in lectum non tam ægritudo quam scelerum pondus dejecerat. Cæcus interea non videbat ante orci fores se stare, surdus ne fratris quidem monita saluberrima audiebat. Intempestâ nocte virum videt majestate vultus, & multâ canitie venerandum. Ego, ait hic, ille sum, qui tui causâ omnia, sed te mei unius gratiâ condidi. Si nondum intelligis, omnium PATER sum. sed te filium degenerem ab dico, abjicio, & dirum damnationis Theta jam nunc tibi denuntio. Ita attonito sub alteram noctem vir adest integrâ ætate, spinis caput, cruce humeros insignis, cætera nudus & sanguine, qui ex pectore faucio in fontem abierat, latè humum inundans; hic, si nescis, inquit, IESVS sum, Servator olim tuus, nunc iudex: simul manum pectori immittit, & sanguine plenam in vultum jaciens ægri,
eru-

erubescere, ait, vel sic & tesseram damnationis cape, salutis futuram, si maluisses. Sub hæc in cœlos, æger in desperationem abiit. Erexit tamen miserum frater, & ut noxis expiatis ad *Amorem SPIRITVM* se verteret, suavit. Tertia igitur nox personã visa ostendere, vultu prioribus non absimili, sed placido, & arridente, qualemque humero insidens columba probabat. Atque hæc scele- rum veniam, & mortem beatam nuntiavit. Quis jam fidem non habeat dicentibus *columbam* sine felle esse? *Ex Spec. Exempl.*

FESTVM SS. TRINITATIS.

Quid solem intueris? si sapias oculos claudes. Fides talpa sit, oportet. Nimirum non posse in parvulam fossam exonerari Oceanum, Augustine, docuisti. Manu tamen ad tanta mysteria non semel nos duxit cælum. Ita quo tempore Vafatenses Hunni bello, & hæresi suã SS. TRIADEM Ariani impetebant, miraculum contra hos ingens pugnavit. Etenim sub ipsis sacris è calo in aram tergemina guttæ se demiserunt, invidiam crystallo facturæ. Has cum legere Sacerdos vellet, ecce suapte sponte in unicum gemmam coivere. Atque hoc nobilissimũ, VNIUS TRIADIS, & TRINÆ VNITATIS symbolum Christiani cruce, hanc unionibus
orna-